

Alte
Bücher

Ed. 501

PROTEUS

Sive

DE

DIGNOSCENDA
INGENIORUM
VARIETATE


DISSERTATIO

EX

AVELLINO

MARPURGENSI

EDITIONIS ULTIMÆ.



Marpurgi Hassorum

Typis SALOMONIS SCHADEWITZII,

Academia Typogr.

ANNO M. DC. IC3 LVI.



V I R O
P R A E N O B I L I A C
M A G N I F I C O
D O M I N O
J O H A N N I
V U L T E J O

J C t o C e l e b e r r i m o , a c S e -
r e n i s s i m o C a t t o r u m P r i n c i p i à
S e c r e t i o r i b u s C o n s i l i i s ; N u p e r a d p a -
c i s n e g o t i a M o n a s t e r i u m D e l e -
g a t o P l e n i p o t e n t i a r i o , h o d i e
C a n c e l l a r i o .

*Domino & Patrono suo obse-
quiosè venerando.*



Quot capita tot sensus, & quos
homines tot fere esse solere
sententias vulgi sermone ja-
ctatur. Animadvertimus enim
non tantum seculum quodq; peculia-
rem genium semper habuisse, qui
modo Artem extollat, modo Mar-
tem, modoutrumq; deprimat, & eos-
dem affectus alternante quâdam vi-
cissitudine, jam inter virtutes, jam
inter vitia recenseat: Sed etiam eo-
rundem temporum, earundem re-
gionum homines, tantâ à se invicem
affectuum & inclinationum dissen-
sione distare, quantum in unâ hu-
manitate consentiant. Scrutentur
causas quibus abditâ natura rima-
ndi otium: ego id tacitè mecum repu-
to: an alicujus ingenium obscuro
altus

astus involucro tectum explorari; an
ejus explorandi præcepta tradi possint.
Nec infra Cathedrarum dignitatem exi-
stimaverim, si disputatione publicâ tale,
vel similia ventilarentur themata: cum
major inde Politices Studiosis utilitas spe-
randa esset, quam à trivis aliis & otiosis
questionibus, quæ ad imperiorum & po-
pulorum disciplinas rudiores, quàm ac-
teperunt, dimittunt. Quâ de re Collegii
nostri Philosophici parietes ex inscriptio-
ne seriò nos commonefaciunt: **UT CO-
Gitationem suscipiamus, QUI
FIAT QUOD HOMINES È SCHOLIS
AD REMP. PRODUCTI, PLERUMQUE
OMNIUM MORTALIUM SINT IN-
EPTISSIMI; Nimiùm sibi blandiuntur
nonnulli, ac seculo suo gratulantur, tan-
quam omnium artium inventionibus
adeo ditato, ut nihil super sit, quod inven-
tis accumulari possit. Verùm tamen, quã
cunq; fere scientiam suos feliciter nactam
esse clientes, solam de dignoscendâ ingenio-
rum varietate reliquis infeliciorum huc-
usque**

asque mansisse: an propter argumenti in-
utilitatem, leviitatem, an difficultatem,
dubitaverit quis? Propter inutilitatem,
existimantem, unica Taciti refelleret au-
toritas: Noscere provincias; nosci pe-
ritis, viro politico precipientis. Levita-
tem in eâ negligendâ vel minus excolendâ
unanimis nationum concentus arguere
posset: Quicquid enim in eâ tractatum,
incidenter tantum ac frustratum; & me-
tuo ne sola Italorum ea gloria sit, nisi que
Hispano secundum temperamenta inge-
nia scrutanti debeatur, Barclajo ac Ba-
soni, qui non expressi scriptoris, sed potius
adhortatoris partes elegit, & difficultatē
agnoscit. Eam nihilominus negaret quis
ex Germanorum contemptu, quorum in-
dustrio conatu nihil in scientiis illaceffi-
tum hucusq; mansit. Per omnes se scien-
tias aliquot abhinc seculis diffuderunt, &
ut olim inter discentes ultimi, nunc inter
doctores primi, tanquam Parentum suo-
rum in literarum contemptum obstina-
tiam aut uturi, aut omnia cōpensaturi.

);(3

Modo

Adodo videnus, non solam scholarum
subtilitates penetrasse, sed & intricato
Leg. Rom. studio ultimam manum ap-
plicuisse, & abhinc merito scribacis indu-
soria gloriam germanicus genius apud
omnes gentes subeat. Major de difficulta-
te perscrutandi nodus: natura vitiiis cor-
rupta pravitate obstantes tenebras non
facile perumpente. Accedit seculi per-
versitas, nimium fallacis indulgentis, &
ita ad fraudes edocti, ut non facile quis
aditum patiatur ad sui ingenii contem-
plationem; ac quod lamentante Biâ mi-
serimum, virtutes vitiiis famulantur, &
sub illorum prætexta impuniùs seviunt.
Severitas iustitiæ nomen obtinet, melan-
cholia sub gravitatis pallio venerabilis,
garrulitas affabilitatis gloriam sibi tri-
buit, prodigus liberalis, avarus providus
Oeconomus, contumax constans nomi-
nari vult; dissimulator prudentia specie
titulo imponit, lascivus amor charitatem
vendit, dissimulatio patientiam, religio
regionis

regioni inbiat, & quod omnium pessimū
est, hypocrisis sanctimonia larva incedit.
Sunt & doctioribus nonnulli, qui Momē
consilio subscribunt, & ingenia aliorum
explorandi nullum aliud remedium
querunt, quam quod aliqua cordis par-
ticula in fenestram laxari debeat: fene-
stram nobis comparari posse Illustris Ba-
con ostendit; consilium inquiring in cor-
de viri tanquam aquam esse, sed pru-
dentem illud exhaurire, ac quomodo in
aquis resplendeant facies, sic corda ho-
minum manifesta fieri prudentibus, S:
Scrip. verba sunt.

Licet enim sint' quidam adeo invete-
rati simulatores, ut non facile alicui ac-
cessum ad nevorum suorum contempla-
tionem permittant; licet etiam Socrates
coactā vita institutione Physiognomi con-
clusiones fallat; quamvis civilis ratio ex
oculis, sermonibus, literis, victu, amictu,
conversazione de virtute cuius vis collige-
re sapius aberrer, pernitiosior em tamen
proditor em non habemus, quam propriā

animi passionem, quae nobis inuitis pro-
rumpit, & alios de eo, quod latet, ex in-
canto saepe verbo informat. Horatius ele-
ganter eam torturam appellat, quod veri-
tatem fateri cogatur

----- qui vino tortus & irā

Fidissimus enim sibi sit oportet, & fidus
sui ipsius magister, qui per tumultus ani-
mi, vel mundi vanitates ab experto quo-
dam circumventionum artifice inflatas,
vel odii atq; invidia fidiculis expressas,
vel uberius vini affusione reseratas re-
primere semper sciret, cum sapientissimi
sui propositi semper obliuiscantur, & lau-
de vel culpā decepti veritatem saepe pro-
dant, à prudentiā multos annos caute ob-
rectam. Tiberius si quis alius in simu-
lando & dissimulando peritus artifex,
quiq; nullam aequè, ut rebatur, ex virtutibus
suis, quam simulationem ac dissi-
mulationem diligeat; qui in rebus etiam
quas non occuleret, seu naturā seu assue-
tudine suspensa semper & obscura, ut sen-
sus suos penitus abderet, proferebat, à Se-
natis

natu tamen intelligebatur, licet in omni-
bus metus esset, si intelligere viderentur.
Ex eo penetrandi animi specillo pauca
Agrippina verba raram occulti pectoris
vocem eliciebant, ut correptam græco
versu admonuerit, ideo ladi quia non re-
gnaret. Tiberio anterior Ulysses

Astutam vapidò versans in pectore
vulpeni

quem vafsum esse & invictum dolis, et-
iamsi Deus congregaretur neminem an-
teire, Minerva Homericafateretur, amo-
rem tamen erga filium dissimulare non
potuit, cum ne ad Troje expugnationem
ire cogeretur, stultitiam simularet, sed fab-
sus detegeretur. Sic superiori seculo Ro-
bertus Melunius Gandavensium Vice-
Comes quanquam ingenio haberetur va-
rio ac inobservabili, exploratum tamen
erat Alexandro, adjiciente Strada: ne-
minem adeo intractabilem esse, cui summa
deniq; manubrium non sit, quo capi ac te-
neri possit. Deridetur itaq; vetus illud
diciturum, ac ad rudiorum prioris avi-
sim-

simplicitatem relegatur: nemini familiariter utendum esse antequam modulum salis cum eo comederimus. Hodierna sagacior est, indagatior, ex unius diei conversatione dissimulatam cordis prudentiam in vultu legens, & ex circumstantiis occulta animi in medium protrahens. Si tamen quis in dignoscendis ingeniis peritus artifex excipere velit. Hanc artem potius ex usu quam doctrinâ constare, adeoque sub præcepta difficulter cadere, respondere ausim, nil eorum esse quæ veniant in Practicam, quorum non aliqua sit Theoria; Neque quæmpiam in Medicinacultores adeo injuriosum extitisse, ut iis Theoriæ fundamenta invidere voluerit. Sin altioris indaginis esse hanc de dignoscendâ ingeniorum materiâ doctrinam, quam ut ad otiosas Philosophorum speculationes pertineret, potius inter regiminis arcana regendam, deprecarer tam duram legem: si enim parum sit præstanti ingenio natum esse, si nihil sit aliud, quam aptum ingenium ad Academica eruditionis industriam.

industriam esse sortitum, secundum pruden-
tissimum Comineum autem paucis
admodum, & non nisi in ipsis natura di-
vitiis conceptis sit illud concessum, adeoq;
ex literis natura defectus supplendus, cur
à talibus arcenda unde supplementum
haberi possent. Veniam tamen peterem,
quod in tanta sublimitatis materiâ (quâ
silenii admiratione potius venerari quam
juvenili voce profanare, debuissim) curi-
osus fuerim. Amori in eam id dedi, &
occasione reimprimendi hujus Excellen-
tissimi Schuppi tractatus, quod multorū
petitis, quæ mihi mandati instar sunt, de-
bui. Dabis & Tu veniam Prænob. Ma-
gnif. Vir quod tanquam ille Antiochi he-
ros cathedralis auscultanti Hannibali,
professoriâ linguâ, ego Tibi presenti rudi
voco ridiculus esse voluerim. Patronum
hujus materiâ dum quærerem, quis oc-
curreret Te potior? Non tantum in illo,
quod Europa Monasterii instituerat in-
geniorum certamine, inter prima nume-
ratus es, & restatus, Germaniam quoq; in
Itale-

Italorum ac Hispanorum invidiam ingenia gignere posse: cum tota Europa intestinis discordiis fatisceret, & Germaniam martialem campum elegerat, dignus visus fuisti, ut iis componendis interesses, nescio num majori Germania salute, quam Hasfia gloria.

Sed ne dedicatio in modum voluminis excrescat, & Orationem Tibi qu. Tutelari Deo inscribendam onere superet, vobis concludo, Teq. Coelestis gratiae tutela commendo, & mihi Patronum in omnibus exopto.

Prænobilis Magnif. Tux devotissimus Cliens

GEORGIUS Lincker.

(1)



PROGRAMMA.

JOHAN. BALTHAS.
SCHUPPIUS.

Eloquent. & Historiar. Professor
Ordinarius.

OMNIBVS BONÆ MENTIS STUDIOSIS.
IN ACADEMIA MARBURGENSI

S. P. P.

Ratio est, quæ homines distinguit à
bestiis. Cultus rationis, sapientes
facit. At cultus Orationis, inter ipsos sa-
pientes discrimen facit. Olim Musarum
sorores Orationis Domine, domicilia sua
habebant in his quos circa urbem hanc
intuemini montibus. Amabant sylvas
illas amenas, florida illa prata, illos fon-
tium fluviorumque susurros & quodam
H quasi

quasi matrimonii nexu sese miscebant cum filiis hujus regionis. Nunc in exilium pelluntur passim & D. Prisciano magna interdum eriguntur epita-
 phia. Fiatne hoc doctentium ignorantia, vel discentium ignavia, vos ipsi judicate. Fateor has ipsas manus meas non esse puras ab optimi Prisciani p. m. sanguine. Sed si imitatio vitii communis, innocentia est, facile excusabor. Postquam in scitiam avi nostri propius inspexi, tandem me puduit. Serpunt per scholas tot ineptiarum exempla, quibus mederi non est tenuitatis mee, attamen juventutem ab iis dehortari officii mei esse censeo. Pueri sumus, cum sapientia apicem, scala nostra pradicamentali petiisse putamur. In scholis disertissimi sumus Oratores, in foro & Ecclesia aut risum meremur aut misericordiam. Qui in Aegypto nati sunt & non nisi Nilum, illum fecunditatis aut Elorem viderunt, ii cum alibi cernunt caedentes imbres, novitate perculsi, cre-
 dunt

PROGRAMMA.

3

dunt naturam rerum ruinam minari.
 Ita quæ inter animas solo pulvere Schola-
 stico conspersas educantur, atque de utili
 & inutili tot inutilia verba prodigunt,
 & in speciem summa sapientiæ aut
 Grammaticam laudant aut Logicam,
 quas nemo vituperat, si ad res serias agen-
 das venientes in alium terrarum orbem
 se delatos arbitrantur. Doleo profecto,
 mihi (qui ut ut nondum assequi possim,
 attamen veneror antiquitatem) inter
 ineptias has esse versandum. Optarem
 me aut illo tempore natum, quo non erat
 eloquentia, aut illo quo florebat Romana.
 Romana dico, cujus nomen affectant
 multi, cujus gloriam assequuntur vix
 illa anima, quæ propius celo defluxere.
 Non ejus gravitas consistit in periodo-
 rum rotunditate, non in numero orato-
 rio, cujus necessitatem Keckermannus
 nobis obrudere conatur, non in ineptiis
 aliis, quas hodiè in scholis discimus in-
 rem futura oblivionis. Sunt quidam ho-

H 2

mines

PROGRAMMA.

mines novi, quibus sordet sive iudicium
sive exemplum veterum, quos si imita-
mur, quid nisi ruinae bonae mentis & ex-
pirantis eloquentiae funus proximis nun-
dinis expectamus? Sunt denique alii,
qui nimii antiquitatis aestimatores, anti-
quitatem ex iudicio antiquitatis distin-
guere nesciunt, quibus omnia verba sor-
dent, nisi quae ab ultimis & oblitteratis
temporibus repetita. O insani! Aut in-
telligi vultis, aut non. Si vultis, cur aut
cui ita loquimini? Si non vultis, cur non
tacetis? Non amplius regnat Latiorum
Rex Picus, & jam dudum obiere Evan-
dri & Lupa Romuli mater. Quis glan-
dibus uti vellet, postquam segetes inven-
tae? Quis aqua haustum, dulcis vini can-
tharo praeponeret? Quis appositio turdo,
cui inter aves gloria prima est, appeteret
corvum? Annon insanire me dicere-
tis, si in publica concione orationem Do-
minicam recitarem, quomodo eam olim
pronunciabant Majores nostri tempore
Caroli



PROGRAMMA.

5

Caroli Magni, annis abhinc octingentis?
 Certè non magis me intelligeretis, quàm
 si Succico aut Danico idiomate uterer.
 Ultra Sauromatas eant preposterè illi
 mortales, qui tanquam Romana effun-
 dunt, quæ damnata à Romanis, quibus
 ne quidem uti jam vellent, quos imitan-
 tur. Itè autem charissimi mei, legite Hi-
 storicos illos, qui in seculo Augusti vixe-
 runt, ubi tot fecunda ingenia ardorem
 suum consumpsere, ubi cum ceteris disci-
 plinis & eloquentia & Imperii Romani
 majestas incrementa sua adepta est. Aut
 ibi veram suaviloquentia indolem &
 vim & decus & machinas invenietis,
 aut nullibi. Quomodo enim ibi se non
 exsereret, ubi miles in procinctu prælii
 stans, non clypeo magis aut hasta, quàm
 Imperatoris sui voce animatus, plenus ar-
 doris, & jam victor priusquam pugna-
 vit, irruit in hostem tanquam in amici
 complexum, & vitam morte reposcit?
 Agite nobilissima mentes, conemur ali-
 quid.

H 3

quid.

quid. Instituamus aliquod certamen
 mascula illius eloquentiae. Eloquen-
 tia inquam illius, qua affectus omnis aut
 imponitur aut extorquetur; cui tot con-
 tumaces anima, tot regna, tot principes
 succubere; qua id agit, quod ferrum non
 potest; cui ipsa natura cederet, si moveri
 posset. Quemadmodum militem suum
 campestri meditatione subinde exercet
 prudens Imperator; Ita in pulvere hoc
 Scholastico ea loqui conabimur, quae ali-
 quando aut in republica loquenda aut in
 Ecclesia. Nunc accusabimus regum
 praesentium non modo licentiam, sed & no-
 men. Nunc fingemus nos Catilinas esse,
 & à Cicerone accusari; nunc ab Hanni-
 balem nos captos esse dicemus & in Capito-
 lium ablegabimus supplices, nunc alias
 materias eligemus, quibus facundia ex-
 ercebatur Romanae iuventutis. Agite
 Iuvenes nobilissimi, spes & ornamenta
 patriae, ite quò vos Deus vester vocat, cu-
 jus aliquando Legati futuri estis, ite quò
 vos

vos Princeps vester vocat, qui voce
vestra aliquando utetur. Has manus,
hoc pectus, hanc mentem vobis con-
secro, siue sequi me velitis, siue prave-
nire. Aut vehementer fallor, aut
generosa mentes vestra jam dum ex-
citata sunt ad gloriam hanc. Videor
intueri ardorem vestrum. Puto me
jam dum videre pulcherrimum prisca
eloquentia certamen, quale olim erat ad
aram Lugdunensem in Gallia. Proinde
nobili & utilissimo exercitio illi, ex pu-
blica auctoritate signum erigo. Concu-
rite eò, quot quot vultis. De Mantuano
refert Lotichius noster, quod fuerit Poë-
tarum Dux potius quam Poëta ipse. Ita
ego vobis Bono cum Deo prisca illius
nobilissimaeq; eloquentia viam monstra-
bo, ut ut eam aut nunquam iniverim,
aut per ingenii mei imbecillitatem inire
non possim. An non Nappius noster aut
suo aut aliorum cum fructu libros ven-

PROGRAMMA.

dit, quos nunquam intelligere, intelligere autem? imò ne legere quidem potuit? An non Vulcanus fuit faber elegantissimorum armorum & Hectorem tamen interficere non potuit? Annon de cibus saepe felicius iudicat convivere quàm coquere? An non statua Mercurialis viam ostendit, quâ sit eundum, & ipsa tamen est immobilis? mirari igitur nolite, me vobis viam ostensurum ad Romanam eloquentiam, quam ipse nondum didici. Sin verò cum seculo hoc NOSTRO insanire malueritis, hora 11. in Auditorio Philosophorum me conveniatis. Describam Oratores nostros, non quales esse debent, sed quales sunt. Non equidem sum Dictator in republica bona membris, nec tantquam Praetor accipi juris dicendi potestatem, sed si extraordinarii homuncionis suffragia valerent, dicerem utile esse, ut aut inepti illi homines non nascerentur, aut uxores non ducerent, aut à scholis exularent, ne ineptie propagarentur, quibus

ORATIO

bus auditorium quandoque impletur,
 non animus ingeniosi auditoris. O si
 annos præteritos redderet mihi Deus!
 Irem, discerem vobiscum, quæ me jam
 ignorare pœnitet & pudet. Sequimini
 modo, amici, aut si mavultis, fratres &
 commilitones. Habebitis me, si non inge-
 nit aut doctrina, saltem diligentia exem-
 plum. Par mihi adhuc vobiscum discen-
 di necessitas est. Tantum est quod
 ignoramus. Valet, Dab. Marburg.
 M. Jun. 1638.



ORATIO.

Quid expectatis Auditores?
 Unde exordiar? à terminis
 Philosophicis? vel contro-
 versis aliis? Hoc unum
 scio me nihil scire. Cur? Quia alii sci-
 unt omnia. Nihil habeo, quod vobis
 proponam præter ineptias meas. Cre-
 ditis

H s

ditis

ditis vos alios sapientiâ superare? si putatis, jam stultis stultiores estis. Nam primus stultitiæ gradus est, aliis se præferre. Si quid mihi creditis, plures sunt stulti in mundo, quàm syllabæ in Calepino. Et est quædam sapientiæ pars, furere cum infanientibus & seculi moribus morem gerere. Cicero olim librum conscripsit de perfecto Oratore. Librum hunc ad Garamantas & Indos relegate. Discite autem ex me, quomodo agenda sint partes Oratoris inepti, ne seculo huic impares sitis. Aperite aures, sicuti Advocati laxare solent crumenas suas. Tradam vobis regulas aliquot, quas si observaveritis, Oratores eritis citius, quàm coquuntur asparagi. Primò quod felix faustumq; sit, quicumque te institutioni meæ submittere cupis, fac ut sis in primis temerarius, impudens, audax. His armis si instructus fueris, satis te doctum putabo. Nam pretiosissima ludi mei suppellex est

ORATIO.

11

est ignorantia. Deinde affer tecum Stentoris validissimam vocem, semper aut cantillantem aut ululantem. Ne antiquæ literaturæ nescius videaris, Latiniora quædam verba colligas, quæ semper in ore habeas. De cæteris ne sis sollicitus. Omnia ut nummos melioris notæ tua venditabit impudentia. Antiqua, obsoleta, peregrina verba, qualia Evangelii mater loquebatur, ex antiquario Laurenbergii vel Lubini studiosè colligas, & magnâ linguæ volubilitate in adstantes intorqueas, ut illi te venerentur tanquam hominem è cælo lapsum. Semper in ore habeas, crembala, fistra, lobas, berecynthia, crusmata, cannas, & alia quæ non intelligeret Senex Numa, nisi divinantis Egeriæ vaticinia confuleret. Si verborum penuriâ ægrotas, protinus finge verba pro arbitrio tuo. Si barbarismus aut solœcismus exciderit, confestim in promptu sit nomen Poetæ alicujus vel Scriptoris alius, qui

H 6

nec

nec est nec fuit unquam in rerum natura. Cita Ennium vel Pacuvium aliosque, qui aut non sunt in omnium manu aut non in omnium mente. Nostri Messieurs, qui semel *Lutetia Parisorum* pernoctârunt, injurias omnes *Grobiano* illatas excusant, dicentes, *es ist à la modo*. Quid vetat omnia *Prisciani* vulnera tegere emblastro larvati *Critici*? Semper tibi in promptu sint argumenta, quibus culpes *Isocratem*, *Demosthenem*, *Plautum*, *Platonem*, *Tullium*. Ita homines te magnum *Criticum* esse credent, etiamsi nil magis tibi desit, quam bona crisis. Fac novorum Scriptorum affectatas orationes semper habeas in manu. Quas, ubi cautè fieri id potest, semper vendites pro tuis. Omnia quae profers, dic esse extemporanea. Cave mediteris, quomodo orationem distribuas in partes. Hoc frigidorum hominum est, qui nesciunt artem arte dissimulare. Tu dic quicquid in buccam veni;

venit, etiamsi contingat, te pedem capi-
 ti, ocream galeæ, caudam jubæ aptare,
 quid ad te? modo ne taceas. Florile-
 gium Langii à latere tuo discedat nun-
 quam. Si de scisso pallio, aut balneato-
 ris quadrante perorandum, tu ex Flori-
 legio Langii omnem Atheniensium
 antiquitatem recense. Quæ apud In-
 dos gerantur refer. Mores quoque
 Scytharum interpone. In omnibus
 periodis sit *Alexander Magnus & Lu-
 lius Caesar*, sine quibus nihil fiat. Helle-
 spontus pedibus teratur, Sol *Persarum*
 telis opacetur. *Xerxes* fugiat, triumphet
Leonides. *Artemisia* ad satietatem usq;
 inculcetur. Et exempla hæc è variis
 centonibus emendicata, eleganter con-
 jungere potes particulis his; Cæterùm,
 porrò, quandoquidem, deinde, &c.
 Hos inquam flosculos semper immi-
 scere potes, etiamsi res minimè indi-
 geat. Ut affectus auditorum masculè
 movere possis, semper in ore habeas, dii

immortales ! ô ter quaterque beatos !
 heu malorum ! per Deos Deasque omnes !
 ô tempora ô mores ! Hac sæpè iterentur, pectus percutiatur, pileus rotetur, vox ululet, etiamsi mortem tantum passeris lugeas. Tota oratio tua impleta sit metaphoris. Etiamsi verba sint notionum veluti simulachra, tu tamen rem omnem novis semper imaginibus obscura, & quasi umbras umbratum fac. Quid vetat pygmæo caligas Maximini Thracis adaptare? Quicquid agis, hoc unum age, ut homines temerentur potius quam intelligant. Similia potenter ornant Orationes. Id animadvertit rusticus ille, qui cum fortè plenissimum illum confessum Senatus Parisiensis patrumque purpuratorum cœtum contemplatus esset, curiam cum agro capis consito comparavit. Si salutandus est vir quidam honestus, exordiri potes ab eleganti quodam apophtegmate. Exempla gratiâ: *Sehr sein vnd wol*

wol redet Pato, Prästantissime, Ornatif-
 sime, Literatissime Dn. Benjamin, Ste-
 tinensis Pomerane, Sanioris Philoso-
 phiæ & S.S. Theologiæ studiose, Palla-
 dis ocellè, Orestes adamantino fami-
 liaritatis nexu mihi conjuncte, & amo-
 re, more, ore, re, ad ultimum æternitatis
 punctum (vnd noch 14. Tag drüber)
 honorande. Sehr fein vnd wol / in-
 quam, redet Plato, da er in diese Wort
 erbricht vnd spricht: Saluta liberater.
 Damit dann der Weise Mann hat
 wollen andeuten vnd zuverstehen geben/
 daß man in Höfflichkeit nicht solle spar-
 sam seyn: Diesem nun nachzukommen/
 wünsche ich dem Herrn ein *Bonus dies.*
 Cæterum non alia in scholis sunt fre-
 quentiora Eloquentiæ exercitia, quàm
 epistolæ & parentationes. Omnis igitur
 tibi epistola sordeat, nisi tota pagina
 à summo vertice ad imum usque cal-
 cem verbis sit impleta. Nemo enim
 hoc ævo considerat, quàm bene sed
 quàm

quàm copiosè dicas. In parentationibus accuratè expone, quàm quis sit patriâ, quàm familiâ, in qua domo, in quo con-clavi sit natus, quàm fuerit staturâ ac facie, quot habuerit præceptores privatos, quot obstetrices ac nutrices, quoties equitaverit in arundine longâ. His adde parentes naturales, parentes mysticos, vitricum, novercam, sorores, fratres, agnatos, cognatos, affines & vicinos. Super hæc omnia exordium pete vel à flumine Nili, vel à Tartarorum Chamo, vel à pretioso Johanne. Nec oblivisci potes formulâ, quæ Ciceroni illi Germanico frequens est, qui post deductionem funerum vel sartores vel futores ita ferè alloqui solet: Wohl Ehrwürdige / Ehrveste / Ehrgeachte / Ehrhaffte / Hoch vnd Wohlge-lährte / Großgünstige / Günstige liebe Herrm (diesetitel müssen sein geschwind außgesprochen werden / wie die Musici die geschwenste Noten singen / deren 16. auff

auff einen Schlag gehen) daß alle men-
 schen sterblich seyen / bezeuget nicht al-
 lein die heilige/Göttliche Schrift / son-
 dern auch die tägliche Erfahrung. Ja
 wir sehens an vnserm verstorbenen
 Sempronio seligen / welchem wir jeko
 die letzte Ehr erzeigt / Derselbe war ein
 guter frommer Mann. Er aß gern
 sauer Kraut / vnd trancß gern guten
 Wein / Gott wolle seiner Seelen gnä-
 dig seyn. In titulis nunquam sis parcus.
 Vide inprimis, ut tituli semper sint ma-
 jores ipsâ oratione. Man gibt ja kein
 Geld dafür / darumb kan man sie wohl
 mit der Brabändischen Ehl außmes-
 sen. Post propositionem per semihor-
 rulam aliquam Te auditores amplissi-
 mis verbis per sacra & prophana orare
 oportet, ut tibi vacivas præbeant aures,
 Etiam si eos oribus, auribusq; apertis
 aufcultare videas, tu tamen iterum ite-
 rûq; orare perge, ut audiant, ut audiant.
 Eam civilitatis speciem Oratores nostri
 didice-

didicerunt, von dem *Salbader zu Jehu*. Is enim studiosus ad se venientibus continuâ voce acclamare solet: *der Herr wasch sich doch / der Herr wasche sich doch / der Herr schwis doch*. Hic simplex anima posset quidem respondere: *Multissime Salbadere / IDEO VENI ut sudem, ut lavem*. Sed huic civilis eloquentiæ mori morem gerere oportet *Salbaderum ejusque nobilem profaniam*. In omnibus orationibus & epistolis latinis vossitare memento. Quippe secus faciens & *Priscianum & Grobianum* hodiè creditur infestare. Sic itaque loquendum. *Reverendissimæ vestræ Dominationis mancipium, Reverendissimæ vestræ Dominationi precatur bonum diem, & precatur, ut Reverendissima vestra Dominatio, Reverendissimæ suæ Dominationis mancipio velit dare tres thaleros, ut possit studere bene*. Ut sermo tuus familiaris discedat à genio vulgi, immiscere semper poteris

poteris terminos & inventiones Poëtarum aliasque ampullas sive ex Amadiso, sive ex Arcadia comitissæ de Pemprock petitas, v. g. Jungfrawe / ich schwere euch bey dem höchsten Gott Jupiter, daß der kleine Knabe Cupido mein Herz dermassen verlehret / daß es mir in meinem Leibe thut / als wolte es Capreol schneiden. Wann ihr euch nicht vber mich erbarmen wolt / so will ich die Eumenides vnd Furias vnd alle Götter vnd Göttinnen / die nur Raach üben können/bewegen / daß sie euch mit gleicher Plage verfolgen sollen. Dich flage gleichsamb die Natur an / daß sie in einen solchen schönen Leib ein so steinernes Herz gesetzt hat / das sich weder durch trähnen oder seuffzen will bewegen lassen: Si ita locutus fueris, puellæ te plus amabunt, quàm saccum mendicorum, etiamsi confectus sit ex optima tela Hollandica. Et quia *Quintil. lib. ult. Inst. Orat. cap. I.* inquit, neminem posse

posse esse Oratorem, nisi sit vir bonus,
 ideò oportet te esse moribus elegantissi-
 mis. Quòd si igitur in nundinis Franco-
 furtenlibus vidisti Gallum aliquem, tu
 hunc statim imitari memento. Inces-
 sus tuus sit ciconialis, juxta tabulaturam
 Belgicam. Semper in ore habeas ge-
 nealogiam aviæ tuæ. Et si fortè descri-
 benda sunt itinera tua, utilissimo men-
 dacio de rebus Gallicis, Italicis & Hi-
 spanicis haurire multa potes ex Cosmo-
 graphia Münsteri. Ne varias linguas
 ignorare videaris, semper confundere
 potes peregrinos terminos v. g. der
 Monsieur als ein Praver Cavalier
 thue mir doch die plaisir vnd visiter
 mich auff meinem logis, ich wil ihn mit
 poculirn nicht importunirn, sondern
 ihn dimittirn, so bald er mirs wird im-
 perirn. Kan ich dem Herrn wieder et-
 was thun in reciproci amoris *συνετορ*
 & debitæ gratitudinis *τεκμητορ*, so wil
 ichs nicht lassen. Vah! quàm Elegantiæ
 hæ

hæ Atticas aures delectant ! Tandem omnibus orationibus tuis subjungito. Dixi.

*Omnia cum dixi, superest tibi dicere Dixi
Hac mihi sermonis vox placet una tui.*

Nolo plura dicere de ineptis Oratoribus, ne me ineptissimum pronuncietis. Satis multa audivistis, ut ridere possitis aut indignari. Plura, si vultis, petere potestis ex institutionibus meis Oratoriis, quæ lucem videbunt publicam, quamprimum laxabitur ea, de quâ conqueruntur Typographi nostri, chartæ penuria, quæ fortasse nata ex superioris ævi prodigalitate. Ne nesciatis, Auditores, ambio & ego locum inter eos, qui libros scribunt è charta in papyrum. Calent sub manibus meis opera Oratoria, quæ pondere certare possunt, sive cum Sylva vocabulorum sive cum Dictionario Pasypodii. Olim quidam in Britannia ex Actæonis familia vehementi zelo commotus, censuit

fuit cornutos omnes in mare abjiciendos esse. Cui conjux, compesce, inquit, hunc impetum, dulcissime marite, & disce prius natate. Si quis & in hosce meos fœtus similem censuram exercere voluerit, jubebo ut plures simul Rhetores pereant, qui omnia sua petierunt vel ex Quintiliano, vel ex Jordano Bruno vel ex Caussino. Mihine soli calamus stupebit, hoc scribacissimo scœculo, ubi steriles concipiunt, ubi eunuchi gignunt & nemo cacaturiens se cohibere potest. ? Sed antequam progrediar, oportet me breviter examinare argumenta, quæ quidam solidæ eloquentiæ sicarii nobis objiciunt, quibus ad hanc ineptorum Oratorum hæresim me perduxerunt. Obsecro eos per sacra & prophana, ut scrupulos hos mihi eximant.

I. Obji. Rem hanc Oratoriam nil facere ad culinam, nec esse de pane lucrando. Resp. Culina mea sufficit mihi & in-

& interdum amicis meis. Utrem pro Cithara gaudet habere Midas, ego non Sed heus charissime Benjamin, quot Helvetios tu conduxisti ad custodiendos thesauros tuos? Quotitem crumeni, fecas sive Francofurti sive Lipsiæ ditârî? In omnibus meis peregrinationibus, ego unicam rem vidi admiratione & stupore dignissimam. Vidi tres, aut si rectè recordor, quatuor Metaphysicos, qui ædificârunt domos. Si lucricausâ omnia discimus, miserè nobiscû agitur. Quid caperas frontem? Si fortuna tibi favet, Eloquentia est ingens ornamentum, sin fortuna furit, Eloquentia saltem verborum copiam supeditat, quâ maledicere potes malignitati ejus.

II. Objicis, neglectâ Eloquentiâ aliisque venerandæ antiquitatis monumentis, compendiariâ viâ iri posse ad summos gradus in facultatibus superioribus. Vidi, inquis, qui ineptias
has

has negligens & utrique cubito tanquam firmis fulcris Herculeanifve (plus ultra) columnis innixus, tantam in facultate suâ deglutiit eruditionis molem, ut si nova compararentur antiquis, ipsum Milonem Crotoniatem oporteret manere domi, & potuit gradum petere cum prima lanugine. *Be.*
 Ne erres, charissime Benjamin, oportet te accuratè distinguere inter Doctores & Doctoratos. Ad Doctoratum pauca requiruntur, ad Doctorem *multa*. Olim à patre meo ducebar Marpurgum. Eram adhuc admodum puer. Lassus itaque à via, attollebam oculos meos, videns procul eminere summa arcis cacumina. Ad parentem igitur conversus, dicebam: Ecce, jam via confecta est, jam pervenimus Marpurgum. Parens severo vultu me aspiciens, respondebat: Puer, ne post hac credas, te visis summis seu templi seu arcis pinnis, iter absolvisse. *PROCUL ADHUC*

ADHUC ABSUMUS AB URBE.

Unius rei possunt esse plures fines.

Proinde credo, quibusdam doctoratis

in media luce præferri faces ardentes, ne

audeant de cæcitate sua dubitare. Cato

maluit, ut quærerent homines, cur Ca-

toni non sit posita statua, quàm quare

sit posita?

III. Obji. Multos esse celeberrimos sive Theologos sive Jctos, qui & ipsi in hujusmodi rebus sint jejuni. R. Quidam casu vidit Erasmum Roterdamum scribere calamo, cui ob brevitatem additum fuit lignum & illicò cœpit pennis suis alligare baculum, credens se IMITARI Erasmum. Rides fortasse, sed non minus ridendus es ipse, qui æmulari vis aliorum sive ignaviam sive ignorantiam. Credin' Platoni placuisse discipulos, qui adductis humeris referebant præceptorem? hoc in Platone erat vitium. Credin' Aristotelem laudasse discipulos, qui in lo-

I

quendo

quando aliquid subbalbi reddebant,
quod vitium Aristotelem devenustasse
dicitur.

IV. Objicis, Eloquentiam non
prodesse Theologo: & Miror, quid
quibusdam hominibus veniat in men-
tem, ut nobilissimæ arti huic concedant
quatuor genera, quibus includatur &
comprehendatur omnium entium &
materierum latitudo & tamen solam
jurisprudentiam dignam judicent, cui
illa ancilletur. Quid est Concionator?
Signum interrogationis? Aut ego vehem-
enter fallor aut inter concionatorem
& oratorem Ecclesiasticum non aliud
discrimen est, quàm inter Alexandrum
M. & Philippi Macedonis filium. *Quæ-*
ro, an non solum genus judiciale perti-
neat ad forum & lites juridicas, reliqua
verò genera vagentur per omnes disci-
plinæ & per omnes facultates? *Quæro*
an non Oratoria sit instrumentum to-
tius Philosophiæ, omniumque artium
& fa-

& facultatum non minus quàm Logica
& Grammatica? Quid est persuasio? Si
Aristoteli, Ciceroni, Quintiliano cre-
dimus, persuadere nil aliud est, quàm
oratione probabili opinionem ali-
quam, in alicujus animo gignere. At
omnes scientiæ, omnes artes & faculta-
tes gignunt in animis auditorum disci-
pulorumque suorum opinionem ali-
quam oratione probabili. Omnes ergo
persuadent. Si omnes persuadent, om-
nes quoque Oratoriâ uti debent,
tanquam instrumento persuadendi.
Qui sine Oratoriâ persuadere conatur,
non absimilis est pauperi empturo vi-
num sine pecunia. Sunt quidam Do-
ctores, ô tempora! ô mores! qui de iis,
qui elegantix & proprietati sermonis
paulò accuratiùs student, per contem-
ptum dicere solent. Grammatici sunt,
Critici, Philologi & uno verbo, verba-
les. Se verò novo nomine reales ap-
pellant. Quasi verò in cultu sermonis

occupati, rerum cognitionem negligere-
 rent. Quod si ita est, patres, quos Deus
 propagandæ primitivæ Ecclesiæ præfe-
 cit, nullas res spiritu & professione
 Theologi dignas habebunt. Non enim
 illi è Scholasticorum lacunis ebii erant,
 non inter hæccitates, Johanneitates,
 notiones primas & secundas aliasque
 barbaræ mentis delitias ita occupati e-
 rant, sed sermonis elegantiam cum re-
 rum è limpidissimis Israelis fontibus pe-
 titarum majestate ita conjungebant, ut
 dubites in utro meliores sint. Pectora
 eorum indomitos reginæ eloquentiæ
 spiritus alebant, ora eorum æterni Dei
 canales cœleste nectar in omnium gen-
 tium aures latissimè diffundebant. In-
 tuemini Athanasium, cujus mascula
 eloquentia, Imperatorum furias & fre-
 mentis in se pene totius mundi pondus
 excepit, sustinuit, profligavit. Quantus
 & qualis fuit Gregorius Nazianzenus?
 quàm gravis, quàm acer, quàm velox,
 quàm

quàm ubique sui similis, ubi apostatam
 Cæsarem æterno mactat supplicio? Ba-
 silium admiratus est summus inter eth-
 nicos eloquentiæ Magister Libanius.
 Libanius dico, à Basilio religione dis-
 junctus & Christianis palmis infensus.
 Chrysostomus nil nisi theatrum fuit so-
 lidæ eloquentiæ. Hujus suavitatem
 Antiocheni admirati sunt, hujus ma-
 jestatem Byzantini venerati sunt, hujus
 vim principes timuerunt, hujus acumen
 omnium seculorum memoria coluit.
 Ephrem Syrus, quasi fax ardens omni-
 um animos incendit atque inflammat.
 Quid dicam de Ambrosio? Annon
 nectare & ambrosiâ nutritus videtur?
 Tam suaves, tam argutas plerunque ha-
 bet Orationis delicias, ut apes, quæ in-
 fantuli eunas & os circumfederunt, cre-
 das adhuc in labellis ejus sessitare. Hie-
 ronymus in omni eloquentiæ genere
 summus artifex, quas styli divitias ha-
 bet? quæ lumina? quos aculeos? Boetii

Severini ingenium, eruditio, ars, sapientia, provocat authores omnes. Illi neque densitas sententiarum Venerem, neq; acumen abstulit candorem. Cogor hinc non nihil subsistere, Auditores. Vos ipsi tantum animo concipite, quantum & de his & de aliis reip. Ecclesiasticæ proceribus, per ingenii mei paupertatem eloqui non possum.

V. Obji. Oratoriam utilem quidem esse Jcto, sed tamen rem hanc in ipso reip. theatro, disci posse ex usu. R. Qui facit artifices usus ab arte venit. Natura est principium artis, ars consummatio naturæ. Si res hæc ex solo usu disci potest, Cicero fuit prægrandis asinus, nullius aut ingenii aut judicii. Quippe anno ætatis xvii. ad exercitationes Oratorias accessit. Duobus annis sequentibus undecim audivit Oratores pro Rostris dicentes. Tertio fuit tyro in exercitu Cn. Pompeji. Quarto Sulpitium in tribunali quotidie concionan-

cionantem audivit & imitatus est. Quinto, Moloni Rhodio, summo causarum magistro, operam dedit. Triennio deinde proximo aliquot nobiles audivit Oratores, in primis Hortensium, quem præ cæteris imitandum sibi proposuit. Avidè quoque didicit Philosophiam, sed ita ut ab exercitationibus Oratoriis nullus vacuus fuerit dies. Cum M. Pisone & Cn. Pompejo declamavit Græcè & Latinè. Græcè ad præturam usque, Latinè etiam in senio. Vides quo ardore se exercueritis, cui lingua Latina fuit vernacula. Et tu qui vix è pennis emersisti, credis te sapientiam omnem devorasse, & majestatem tuam pollui, diutius hujuscemodi exercitiis vacando. Sed inquis: Ego habeo florilegium Langii & Theatrum Zwingeri & magnum illud opus Beyerlingii, quibus Cicero caruit. Resp. ubi sunt Achillis arma, ibi non protinus est ipse Achilles. Illum ego felicem judico.

dico, cui Deus libròs dedit ARTEM-
 QUE FRUENDI. Si Hannibal est ante
 portas, si de scedere Pyrrhi agendum, si
 reus squalet, parum, imò nihil inter-
 dum aut Langius prodest aut Beyerlin-
 gius. O infelices animæ! quæ vos de-
 mentia caput? Anne eloquentiam usui
 discitis vel Scholasticæ ostentationi?
 Aliud est ex Langio aliquid scribere,
 aliud posse persuadere. An Oratoria
 res adeo facilis sit, ut ex solo usu disci
 possit, non jam vobiscum litigabo. Vir
 quidam doctissimus, cuius nomen as-
 nis non dicam, eruditi me non profi-
 tente sciunt, aliter ea de re sentit. Is in
 dissertatione suâ de lingua Latina ait,
 facilius esse in tribus facultatibus hodie
 Doctorem fieri, quàm unam Oratio-
 nem verè Romanam & Ciceronianam
 elaborare. Nimirum natura ipsa rem
 magnam effici noluit CITO, sed præ-
 posuit pulcherrimo cuique operi diffi-
 cultatem. Dum hæc dico, dum plura
 quæ

quæ dicam occurrunt, pallium hoc me-
um intueor. Quæritis fortasse Audi-
tores, cur semper incedam pallio ob-
longo, nigro, & quasi lugubri? Lugeo
defunctum esse Mæcenatem. Mæce-
natem inquam defunctum esse lugeo.
Nullus nunc Mæcenas, nullus in orbe
Maro. Si veterum eruditionem con-
templor, obstupesco; si nostram, rideo
aut rubore confundor. Orationes no-
stræ desiderant unam è tribus Mathe-
maticorum dimensionibus. Satis lon-
gæ sunt, satis latæ, sed parùm profundæ.
Paucis præceptis tot maculamus pagi-
nas, quibus ferendis non sufficerent
asini omnes, quos Arcadia habet. An su-
ribus conferendi simus an præferendi,
dubito. Quippe juventuti tempus fu-
ramur, cujus jactura est inæstimabilis.
Ars longa est, vita brevis, quam nos le-
gendo potius quàm discendo consu-
mere permittimus. Decipimus quia
decepti sumus, imus non quàm eundem,
I 5
sed

sed quãitur. Sumus, ut breviter dicam, Oratores inepti & proavus noster videtur fuisse Midas. Sicuti enim Midas omnia quæ tangebatur, convertebat in aurum, ita nos omnia Midæ bona, quãdam hæreditate ad nos delata, transmutamus in stercus, colore quidem eodem, sed odore plane diverso. Apuleji asinum aureum imitantes stulti simus lignei. Morimur tandem in individuo nostro, sicut Phœnix avis nobilissima. Nullus Mæcenas, nullus in orbe Maro. Quoties Bibliothecam meam intueor, furtim ridere cogor. Quot eorum sunt, qui orbem terrarum libris impleverunt, quos labor labi fecit, quibus salarium vix sal suppeditavit? Ubi magnifici isti & munifici patroni, qui libris præfiguntur? Ubi artium perenne vitium? Ubi virtutis merces inviolabilis? Hæc veterum deliria fuerunt, nunc aliis moribus vivitur. Præstat jam calceos consuere, quàm literariis monumentis

mentis Magnatum favorem emendicare. Alphonfus ille Regum Philosophus & philosophorum Rex, literas inutiles esse non ab homine sed à bove dictum censebat. Sed si qua mihi fides, boves hodie majori in precio sunt quàm aut literæ aut literati. Nullus Mæcenas, nullus in orbe Maro. Miror, magnos Jctos distinguere inter styllum Oratorium & Juridicum. Forfan quia Bartholus fuit barbarus & noluit docere Grammaticam sed JURAM. Ast quot Jcti olim fuerunt, qui linguæ elegantiam cum Jurisprudentiæ excellentiâ ita conjunxerunt, ut vel ab illis solis pura Latinitas repeti posset, si in omnium aliorum libris deleta esset. Eos ego imitari malle quàm Bartholum, etiam si centies diceret: Rusticus falconem alicujus nobilis reperit cum Kettis & sonalis, & posuit eum sub banco & dedit ei beccare panem. Dicam vobis aliquid, sed sub hâc rosâ. Barbarorum
 16 ilorum

illorum stercora Ciceronis auro obducere, compendiosissima ars est, quâ celeberrimi quidam Jcti oculos animosque totius orbis fascinare poterunt. Pueri sæpe aurum & imagines poculi alicujus contemplantes, phar-macum ebibunt, nec sentiunt, quantâ ingredientium acerbitate horreat.

VI. Obji. Oratoriam non esse utilem Medico. Medicum enim sanare herbis non verbis. Resp. Singulis diebus Saturni, ante ædes meas merces suas explicat quidam Hippocratis filius qui prima vitæ suæ elementa consumplisse videtur in Schola Pythagoræ. Is inter profundum silentium mensam suam circumambulat, cœlum contemplatur. Hominem Astronomum esse dices. Rarò rusticus accedit, dicens: Herr Dotter / ich het gern sechs Deckels / drey für mich vnd drey für mein Fray. Osi Dotter i se magnidicas ampullas & selquipedalia verba prodigere posset, die Bauern

Bauern führen ihm das Geld auff einē Schubarn zu. Quis mihi dicet oleum tuum papoleum esse bonum, quamdiu tacueris? Medicus sine arte loquendi, obscura est veluti sine remige puppis, & lyra quæ reticet, & qui non tenditur arcus. Loquere bone vir, ut rustici te videant. Novi ego pastorem rusticorum naturâ satis garrulum, qui desperationi proximus erat. Solatium igitur petebat ab anu quadam, quæ suo & delirorum quorundam iudicio in re Medica sapere videbatur. Anus herbarum aliquot vim ostendens, artem Medicam exercere jubebat. Pastor ille amplectebatur anile consilium hoc, & paucis mensibus in Medicina plus videbat, quàm xxv cœci cum suis perspicillis.

Tandem VII. Obj. Oratoriam non esse utilem Philosopho. R. Non sic insanio, ut aut cordatos Philosophos aut Philosophiam vituperem, Nam qui

Philosophari non vult, felix esse non vult. Tunc enim felices sumus, si bona nobis adsunt multa & ita adsunt ut profint. Non profunt, nisi iis utamur. Bene ut utamur, scientia facit. Scientiam Philosophia vel affectat vel possidet. Ergo ut felices efficiamur, Philosophandum est. Sed quomodo sit Philosophandum, multi videntur ignorare. Aristophanes antiquæ comœdiæ autor, nullâ in fabulâ tantum veneris atque virium videtur exeruisse, quantum in illâ cui titulum fecit Nubes, in quâ lepidissimè Philosophum Socratem

*Qua-
ritur?
Wie
weic
et
Globe
hüpfte
löne?* descripsit saltum PULICIS METI-
ENTEM. Sceptici Philosophi, illi
ex familia Pyrrhonis, nullam certâ
rerum scientiam profitebantur,
sed id tantum agebant, ut nihil cre-
derent, adeo ut cum in foro vapu-
lassent, domum reversi, an vapulaf-
sent

sent, ipsi dubitarent. Novi ego quoque
 in peregrina tellure Philosophum, qui
 ne vicinum quidem suum cognoscit,
 nec scit, utrum sit albus an ater, utrum
 sit homo an belua, viam quoq; nescit
 qua itur ad forum. Ad prætorem ve-
 niens & de iis, quæ ante oculos interq;
 manus sunt, dicere iussus, hæsitat, stu-
 pet, caligat quasi volucris sit implicita
 visco, aut ad solem vespertilio, risuq;
 de se præbet ancillis & lascivis pueru-
 lis. Interim Schluteri controversias
 Logicas nocturnâ atque diurnâ manu
 versat atque reverterat. Cùm aliquando
 discipuli ejus nollent concedere, vo-
 CEM DISSERENDI in definitione
 Logicæ esse metaphoricam, virgis eos
 ita flagellabat, ut tandem trepido ore
 cogerentur dicere: Ita Domine Re-
 ctor, est metaphorica. Ille igitur Phi-
 lophus (date veniam verbo) protinus
 ad edentulam suam ancillam prope-
 rans, & manu tenens virgam misero-
 rum

rum natibus purpuratam, triumphante
 voce exclamabat : Vides mea AnnEls
 quantâ cum magnanimitate pugnave-
 rim pro lege & grege subtilissimorum
 Scholasticorum : Meine Primaner
 machten mir einen Schluß / daß ^{vox}
 differendi nicht sey metaphorica. Ich
 antwortete daß der grössere cæteris pa-
 ribus wahr sey. Allein ich leugnete den
 kleinern: Und sagt endlich/ daß im gan-
 zen Argument kein Folgeren sey. O
 philosophastri ! Obtestor vos per ta-
 bulam rasam Aristotelis , per Philippi
 Melanchtonis vestem pelliceam , per
 pecus Melibæi , per Bucolica Virgilio,
 per autores omnes tam Græcos quàm
 Latinos, ut mihi candidè dicatis, an ine-
 ptia hæc revera vos oblectent? An serio
 credatis in nugis his consistere *εὐτελέ-
 χεια* (timeo vocem hanc Latine elo-
 qui, quia Ciceronem Eloq. patrem cul-
 pant Philosophi, quòd eam non rectè
 reddiderit) sapientiæ, & iisdem neque
 Eccle-

Ecclesiam neq; Rempubl. carere possēt
Ego ut ingenuè eloquar pluris facio u-
nū prudentem vel futorem vel sartorē,
quam mille semilatinos disputaces fatu-
os. Id quod mulierculis certum est, in
dubium sæpe vocatur, non aliter ac si di-
cerem HENRICE quod tibi nomē
est? Et est hominibus illis peculiaris au-
dacia. Quotiescunq; enim visum fuerit,
deos ipsos syllogismis suis in asinos cō-
vertunt, ita ingeniosè colligentes: Alte-
ra contradictionis pars semper est vera.
Jupiter est asinus, est altera contradiçti-
onis pars, ergo vera est. Jupiter aliquan-
do has ineptias audiens respondiisse di-
citur: Heus philosophaster, Ego ero a-
sinus, Tu sis Jupiter. Nunc iterum fiat
permutatio stante pede. Ignoscite Rei-
publ. literariæ magnates, huic animi
mei ardori, qui ad Philosophicos hosce
jocos, nescio quo impctu, rapitur. No-
lo ut me tantum hac in re audiatis. To-
tius antiquitatis suffragium pro me op-
ponam.

ponam. Plus sapientiæ est in fabulis
 Æsopi, quàm in omnibus omnium
 Occamistarum & Thomistarum dis-
 putationibus. Non Æsopus ille defi-
 niebat neque dividebat, neque syllogi-
 smis utebatur, quibus non instrui ho-
 mines sed interdum obtundi credebat.
 Manu rastrum tenebat, oculos ad sidera
 attollebat, mente scandens super ea.
 Venabatur animos suorum & ut cape-
 ret lenocinia adhibebat: Pudebat om-
 nes perpetrare flagitia à quibus bru-
 ta abessent. Ægyptii quibus sapientiæ
 omnis principatum debemus, in Hie-
 roglyphicis suis notis per brutorum
 animantium imagines, quæ sequenda,
 quæ fugienda, mortales docuerunt. In
 proverbii antiquorum in quibus to-
 tam eorum sapientiam, sed cordatam,
 solidam, compactam consistere arbi-
 trox, infinita bene vivendi præcepta à
 bestiis desumuntur. Et sanè multum iis
 ab humano genere deberi existimo.

Hic

Hic ad insaniam disputate Philophastrum,
an etiam bestiarum faciant Syllogismos?
quod quodam tot argumentis affirma-
tum memini. Quicquid nec Ecclesiam
ædificax, nec Reipubl. salutem promo-
vet, frustra discitur & docetur. Duo
sunt, quæ solidam sapientiam consti-
tuunt, BENE AGERE & BENE LOQUI.
BENE AGERE docent Historici. Ab his
veteres consilia deorum, omnis ævi ab-
strusam vetustatem, Magnorum He-
roum facta, ab his exempla atque adeo
sacram omnem & prophanam erudi-
tionem petebant. Nec ulla est masculæ
eruditionis pars, quam Historici non
sunt complexi, quamque in libris eo-
rum hodiè non habemus: BENE LO-
QUI autem docent Oratores. Hæc duo
erant, quæ veteres tantoperè & affecta-
bant & habebant. Hoc comitatu in-
structi foro & Reipubl. tutò se com-
mittebant. His quasi armis præincti,
immoti stabant adversus omnem no-
vercan-

mercantis fortunæ impetum, & difficiliorum temporum injurias in gloriam suam convertebant & ex quacunque sæviente tempestate in hunc sapientiæ portum sese receptabant. Nos florentiarum contenti sumus, fructum non habemus. Imò ne florem quidem habemus, sed in cæno ac fæce divinum hunc spiritum volutamus. Quemadmodum ex Oceano Mæotis, ex Mæotide pontus, ex ponto Hellepontus, ex Helleponto mare: Sic omnem Philosophiam habemus ab Aristotele, Aristoteles habet à Platone, Plato ab Homero. Homerus autem Orator fuit & Poëta. Philosophi cordati & Oratores idem sentiunt, sed non eodem modo loquuntur. Homerus in Hectore suo docet, quicquid Aristoteles de fortitudine inculcavit. Omnia naturæ abditæ, omnia civilis prudentiæ instituta, omnia morum præcepta, quæ in Aristotele legis, Homerus Oratoriis & Poëti-

Poëticis suis inventionibus involvit, in
quas nos non penetrare possumus, quia
animus noster ineptiarum studio oc-
cæcatus est. Ille demum magnæ & pri-
scæ sapientiæ consultus est, qui post-
quam intelligit, quod legit, aliud collig-
git quod non legit. Epictetus Græcè
disputavit, Seneca Latinè, & tamen
uterque eandem exhibet sapientiam.
Ita ferè inter cordatum Philosophum
& Oratorem non aliud discrimen est,
quàm inter Socratem & Xantippes ma-
ritum. Imò tantò Philosophis Orato-
res sunt præstantiores, quantò melior
cithara benè composita, quàm illa, cu-
jus chordæ aut non respondent aut pe-
rièrè. Sed transeant hæc cum cæteris
vanitatibus. Dicerem nonnulla alia,
quibus ad risum incitarem ipsos asinos.
Ast nolo quorundam virùm, quos ad-
esse video, patientiâ abuti. Si quis in-
terim interrogaverit, cur in tota Ora-
tione hac nulla pars alteri cohæreat, re-
spon-

spondebo, me esse Oratorem ineptum. Si quis porrò interrogaverit, cur eam charta legerim, respondebo me Oratorem esse ineptum. Ego huic (*hic ele-
vatâ manu chartam ostendit*) fido chartæ, spem meam non pono in arte. Hæc si charta cadit, (*chartam abiecit*) mecum omnis sapientia cadit. (*Post simulatam perturbationem perrexit*) Videtis, viri optimi, periisse objectiones meas. Voluisssem plures proferre instantias, sed hîc jacent in trecco. Proinde cogor hîc subsistere. Ago vobis gratias, pro solidis argumentorum meorum solutionibus. Offero vobis officia mea quovis tempore & loco promptissima, paratissima.



AD LECTOREM.

LECTOR benevole, lector amice. Nullum est hominum genus invidiæ magis obnoxium quàm illud, quod literas

ORATIO.

47

literas aut discit aut docet. Nuper quidam spe promovendi boni publici incensus, cantiones quasdam Germanicas, ut: Gut Henche wol über die Hende nauf rielt / ic. Der Hirsch wol auß dem Pusche sprang / ic. in unum volumen collegit & se adversus invidiam tutum esse posse desperans, Carmen hoc Opitianum opposuit.

M O M O.

Diß Buch laß mir zu frieden seint
 Oder mach etwas bessers dreint
 Aber du wirsts nicht können. *Nam
 Ne sutor ultra crepidam.*

Quid vetat hoc carmen facere meum
 atque eodem terrorem majoremque
 pallorem incutere iniquissimæ invidiæ?
 Sed extra jocum. Humanissime Te
 oratum volo, ut Oratiunculam hanc
 perlegens, affectus frænis cohibeas.
 Non est sanctio S. R. Imperii, ita ut ju-
 beat aut definiat sine provocatione. Si
 omnia in eâ probas, stultus es; Si nihil,
 asinus.

afinus. Conscripsi eam eo fine, ut aut
 refutarer aut juventutem invitarem ad
 studium eloquentiæ, quod hodie pas-
 sim laudatur & alget. Juventus nunc
 aut nihil agit, aut illotis manibus prope-
 rat vel ad altiora Philosophiæ myste-
 ria, vel ad summas facultates. Si hoc
 non est cum Icaro sine pennis volare,
 nescio quid sibi velit illud Poëtæ. Nôsti
 Lector, quàm difficile sit alios repre-
 hendere. Qui enim malus est, bonus
 videri vult. Quemadmodum igitur
 Medicus furentem & insanum ægrum,
 quem sanare non potest, aut ridet aut
 contemnit, ita in hoc desperato juven-
 tutis nostræ morbo à risu & falsa di-
 ctione aut remedium aut solatium qua-
 rere volui. Verbis meis explicationem
 addet candor tuus. Si mecum in studiis
 his proficere volueris, scies hæc anti-
 cæniæ more majorum Tibi me præpa-
 rasse, veluti illicia & nauseantis stoma-
 chi irritamenta & ad cibum solidiorem
 fumea-

sumendum præparamenta. Nullum
hic infesto individuum, sed animo So-
cratico libere eloquor, quod libere sen-
tio. Elapsi sunt anni non ita multi,
postquam literis operam dedi in Bo-
rufforum Academia Regiomontanâ.
Sunt autem cives Regiomontani di-
stincti in tria diversa oppida. Palæo-
politani & Kniphovienses, Mercatores
sunt & lautæ fortunæ. Löbnicenses
autem coquendâ cerevisiâ lucrum
suum quarunt & ab aliis per jocum vo-
cari solent rustici. Forte civis Löbni-
censis, vir bonæ mentis & famæ exor-
sus erat ædificare domum, quam absol-
vere mors vetabat. Filium autem Sem-
pronium relinquebat bonarum artium
studiosum, qui Musis valedicere & pa-
ternam negotiationem continuare à
matre cogebatur. Is domum à patre in-
choatam absolvebat, & in apice tecti
poni curabat Neptunum cum tridente.

K

Civis

Neptu- Civis alius Löbnicensis , hanc
rus oculis suis inassuetam figuram
der contemplans quæ malum , aje-
Bauer bat , hæc audacia est ? Sempro-
mit nius hic quia Studiosus est , for-
der nius hic quia Studiosus est , for-
Mist tasse nos contemnit , & ut nobis
Gabel illudat , rusticum cum furcâ ædi-
 bus suis imposuit. Jamque vici-
 nos suos opinione hac impleve-
 rat , cum attollente se famâ , & ut
 fieri amat , subinde majora ja-
 ctante , non amplius dubitent,
 sed ubique tanquam rem certam
 recenserent Löbnicenses omnes,
 Sempronium esse contempto-
 rem urbis suæ & eo animo ere-
 xisse rusticum cum furcâ. Quo
 indicio plerique id crederent,
 nec sciebant nec curabant. Con-
 currebant omnes , forumque tu-
 multuariâ concione implebant.
 Cumque unus inelamaret , nihil
 esse cunctandum , profiliebant
 uai-

O R A T I O. 51

universi & rapta, quæ singulorum con-
 ditio casusve obtulerat arma, superbè
 ferentes, ad Sempronii domum venie-
 bant. Mater Sempronii tumultuantes
 jubentesque intromitti per fenestram
 interrogabat, quid velint? Illi fastidioso
 nutu se cum imperio venire responden-
 tes, fores in terram assulatim arietan-
 tes irrumpebant. Sempronius tot ar-
 matos cives aspiciens, juvenili fervore
 elatus, vultu & ferro se ad pugnam pa-
 rans, decernebat inter eorum cædes
 mori. Tum Löbnicensium unus, nunc
 agebat, secundò scelestus es Semproni,
 qui non solum civitatis iracundiam me-
 ritus, ob rusticum in contemptum con-
 civium tuorum ædibus tuis impositum,
 sed & ferrum in nos stringis. Protinus
 pone tela, vinculisque te dede. Sem-
 pronius, per sacra & prophana prote-
 stabatur, se nec civitatem contemnere
 nec rusticum ædibus suis impositum,
 sed Neptunum cum tridente, Löbni-
K 2
censes

ORATIO.

censes ad verba hæc majori iracundia
 incensi, tumidâ confusâque voce cla-
 mabant. Es mag Klinklunus, der
 Teuffel oder sein Mutter seyn. Deu
 Bawern vom Hauf. Quid faceret
 bonus Sempronius? Ut multitudinem
 illam non modo non contemptam sed
 & vicisse persuaderet, Neptunum non
 modo debebat, sed & concordiam effi-
 cacissimâ humanitate reducturus totos
 ntres jubebat in medium proferri, pro-
 digique optimam cerevisiam. Sic tan-
 dem abibant ebrii Löbnicenses, suo &
 aliorum judicio non inulti. Quoties
 historia hæc in mentem mihi venit,
 fortunæ admoneor, quâ quidam alii vi-
 ri infestantur. Nam & illis multi ira-
 scuntur, priusquam se offensos sciunt.
 Sed speranda sunt tempora & fata me-
 liora. Non statim in ipso nascentis di-
 ei exordio æstus est. Infans non lo-
 quitur in cunis. Itur per gradus angu-
 stos ad angusta, Caterum, ea Scripto-
 rum

ORATIO.

B

rum familiaris ars est, ut omnia peccata
 aut commissionis aut omissionis, quæ-
 cunque venerandum patrem nostrum
 Præfianum offendere potuissent, im-
 ponant imperitis Typographis. Ast si
 quæ vitia orthographica, Beanulis usi-
 tata, in hoc scripto invenies (invenies
 autem non nulla) ea non Typogra-
 phis sed mihi imputari volo. IDEO ENIM
 ORATOR INEPTUS SUM. Nemo me
 ad ergastula Ludi Magistrorum dam-
 net, aut ex lege de famosis libellis me-
 cum agat. Ut Medici non, nisi extre-
 mis morbis, aut urunt aut secant; ita fa-
 tyra incipit, ubi aliæ artes desinere. Quam
 agrè ad publicandas ineptias has addu-
 ctus sim, argue ex subjecto program-
 mate, quo ad secundam recitatio-
 nem, Academicam juven-
 tutem invitavi.

K 3

SCHUP-

SCHUPPIUS,
PROFESSOR,
Eloq. Studios. S. P. P.

Nuper animum meum seriis studiis
maceratum refecturus, Oratio-
nem recitavi de ORATORE INEPTO,
qua à paucis sed eruditis auribus avidè
excepta est. Multi se abfuisse dolent,
qui nunc assiduè precibus me exora-
runt, ut eam aut publicis typis communi-
carem, aut iteratà vice recitarem. Ni-
mirum Viri Athenienses malunt audire
de asini umbra, quam de rebus seriis.
Antonius Guevara, Caroli V. Con-
cionator aulicus, Historiographus &
Consiliarius, Vir magni ingenii, non fa-
cile adduci potuit ad Orationes suas pu-
blicandas. Forsan, quia aliquam nescio
quam arcànam vim habet, viva vox,
præliter à mortua. Non solum hæc, sed
& aliæ graviores cause sunt, cur ineptias
meas


meas Catonum nostrorum censura sub-
mittere non audeam, sed eas iterum reci-
tare malim, ne amicorum precibus nihil
dedisse videar. Olim cum Apollo, Musa,
omnisq; Charites, Marpurgo terga dan-
tes, Giesfam fugerent, in tumultu illo, ne-
scio quo natura joco natus est celeberrim-
us noster NAPPIUS. Partui illi astite-
runt sorores illae elegantissime, in circu-
lum ociosè compositae, & post varios risus
decreverunt, hominem hunc Patrem esse
debere omnium ineptorum Oratorum.
Hinc declarandae gratitudinis causâ, re-
lictis asinis, nunc Musis inservit, &
quando Be Be Bellarminum vendit, non
solum eandem vocem, sed & quando in
Polyhymnia & Melpomenes contuber-
nio versatur, eandem cantilenam bis vel
ter repetit. Quid miramini cives Aca-
demici, si hunc Patronum meum etiam
hac in parte imitor, postquam ineptorum
Oratorum familia me semel addixi? ve-
nie hora I, in Auditorium ad Lanum,
& per

Et per semihorulam vacivas mihi prae-
 bete aures. Aut Schuppius non ero, aut
 vos tantilli temporis non poenitebit. Ple-
 runque posteriores cogitationes meliores
 sunt prioribus. Valete Et omnia bene
 interpretamini. Dabam Marpurgi,
 24. Jun. M. DC. XXXIX.

I N D E X A U T H O R U M,
 quibus in adornando opere
 hoc usi sumus.

A Amadis, B Bonus dies,
 C Calepinus. Reliquos Authores vi-
 debis in officinis celeberrimorum Biblio-
 pularum Nappii Marpurgensis, Et
 Crassi Giessensis.

F I N I S.



67 $\frac{11}{19}$

ULB Halle

3

003 620 255





